

465. — Quæritur VII. An dentur aliqua alia beneficia ad collationem solius Papæ pertinentia? Resp. I. Ad collationem solius Papæ ulterius spectant beneficia Urbis seu quæ Romæ existunt: nam horum collatio pertinet ad Papam, tanquam episcopum Romanum, prout is appellatur in can. *Si quis Episcopus*. 2. q. 6. cum similibus. Ita Æneas de Falconib. cit. tract. *de Reservat. benefic.* quæst. 2. principal. n. 9; Chokier, in reg. Cancellar. n. 23. vers. *Secunda reservatio*. Gonzalez ad reg. 8. Cancellar. Gloss. 13, n. 3 et 4. allegat alios. Quanquam Æneas de Falconib. d. n. 9. et Gonzalez loc. cit. n. 7 et 8. ac seqq. cæterique auctores notent, beneficia in Urbe existentia solum improprie dici reservata (haud obstante, quod pro majori cautela per reg. 7. Cancellariæ expresse reserventur) eo quod Papa jure proprio, seu ordinario, veluti episcopus Romanus, eadem conferat, nullusque alius adsit, qui ita conferre, Papamque conferendo beneficia Urbis vacantia prævenire valeat. Nam reservatio proprie fit propter timorem præventionis, seu ne inferior ordinarius collator possit Papam in conferendo prævenire.

466. *Exceptis beneficiis, quæ subsunt titulis cardinalium residentium.* — Fatendum tamen, quod Beneficia Urbis, quæ subsunt titulis cardinalium, arg. c. *His quæ*. 11. de Majorit. et obedient. conferantur per istos, quando hujusmodi cardinales sunt in Urbe: secus, quando absunt, juxta reg. 7. Cancellariæ. Licet enim horum beneficiorum collatio jure ordinario pertineat ad Papam, veluti episcopum Urbis, ut dictum: nihilominus, ut summi Pontifices ostendant, cardinales sibi conjunctissimos, et vere fratres existere, simulque magis eos suorum titularum per residentiam personalem studiosos reddant; pleniorum istis dummodo in Urbe resideant, consueverunt dare potestatem conferendi beneficia vacantia. Chokier ad reg. 1. Cancellar. n. 22. vers. *Secunda*. cum aliis.

467. *Collationem quorundam beneficiorum Papa sibi reservavit virtute diversitatem constitutionum apostolicarum. Sic reservata sunt Papæ beneficia vacantia propter simoniam confidentialem et quidem omnia.* — Resp. II. Insuper collationem quorundam beneficiorum ecclesiasticorum Papa sibi reservavit virtute diversarum constitutionum apostolicarum, quæ non continentur in corpore juris canonici. Sic quippe ipso jure vacant, atque reservata sunt Sedi apostolicæ beneficia, quæ

fuerunt recepta in *Confidentiam*; hoc est, per Simoniam confidentialem: ex constitutione 85. Pii IV. *Romanum Pontificem*. § 5. Quam etiam innovavit beatus Pius V. in sua constitutione 85. *Intolerabilis*: ita tamen, ut hanc suam constitutionem, ac reservationem, decreverit procedere, atque intelligendam esse non solum de beneficiis, in quibus commissa est simonia confidentialis, sed etiam de omnibus aliis, quæ obtinebat confidentarius; prout liquet ex eadem bulla beati Pii V. § 8. *Sed ne quisquam*: et notat Barbosa cit. allegat. 57. n. 42. Utraque dictarum constitutionum refertur tom. II. *Bullarii Romani*.

468. *Item ecclesiæ parochiales, non servata forma concilii Tridentini collatæ.* — Deinde dispositioni Sedis apostolicæ reservantur ecclesiæ parochiales, quæ non servata forma concilii Tridentini collatæ fuerunt, vel conferentur in posterum: ex constitutione 33. beati Pii V. *In conferendis*. § 3. ac refertur cit. tom. II. *Bullarii Romani*. Adde dicta superius § 5. n. 148.

469. *Et beneficia vacantia ob non factam publicationem resignationis.* — Tertio, beneficia vacantia ob non factam publicationem resignationis, reservata sunt collationi Sedis apostolicæ: ex constitutione 85. Gregorii XIII. *Humano vix judicio*. § 3. ac refertur pariter tom. II. *Bullarii Romani*.

470. *Aut propter crimen hæresis.* — Quarto, beneficia vacantia propter crimen hæresis, reservantur collationi Sedis apostolicæ: ex constitutione 29. beati Pii V. *Cum ex Apostolatus*. § 1. referturque cit. tom. II. *Bullarii*.

471. *Item beneficia vacantia propter delictum offendentium litigantes in Curia romana, eorumque judices, advocatos, etc.* — Quinto, beneficia ipso jure vacantia propter delictum offendentium litigantes in Curia Romana. eorumque judices, advocatos, procuratores, notarios, testesque, et alios hujusmodi, reservantur dispositioni Sedis apostolicæ: ex constitutione 11. Alexandri VI. *In eminenti Sedis*. § 4. quæ habetur tom. 1. *Bullarii Romani*.

472. *Ac beneficia eorum, qui se pro aliis ad obtinendum illis beneficium, examini subjiciunt, etc.* — Sexto, beneficia eorum, qui se pro aliis, in ordine ad obtinendum pro eis beneficium, examini subjiciunt; vel qui annuas pensiones offerunt pro consequendis beneficiis etc. non solum ipso jure vacant, sed etiam collationi Romani Pontificis reservantur: ex constitutione 12. Pauli IV. *Inter cæ-*

teras. § 2. et 3. ac refertur cit. tom. 1. *Bullarii*.

473. *Alii tales casus. Remissive.* — Tacentur nonnulli alii casus, in quibus collatio quorundam beneficiorum reservatur Sedi apostolicæ, quorum universim triginta quinque enumerat Hieron. Gonzalez ad reg. 8. Cancellariæ. gloss. 51. per totum: verum præmissi sunt cæteris notabiliores. Superest, ut de regulis Cancellariæ, et concordatis Germaniæ, aliquid dicatur: nam hisce pariter certa beneficia ecclesiastica collationi Sedis apostolicæ reservantur.

§ XVI.

DE REGULIS CANCELLARIÆ, AC TENORE MODERNARUM.

474. *Regulæ Cancellariæ, quid, et quot sint?* — Quæritur I. Quid sint regulæ Cancellariæ, cur sic dicantur, quo tempore ortum habuerint? Resp. I. Regulæ Cancellariæ sunt certæ constitutiones apostolicæ, quas singuli pontifices a principio sui regiminis circa causas beneficiales, et judiciales facere, vel a prædecessoribus suis jam factas renovare, augere, vel minuere consueverunt. Earum de facto solent esse septuaginta duæ: totidem enim novissime publicavit SS. D. N. D. Clemens divina Providentia Papa XI. Quamvis, præter nonnullas alias differentias, olim pauciores fuerint; prout patet ex eo, quod Urbanus VIII. anno 1623. solummodo septuaginta et unam fecerit, quæ referuntur tom. IV. *Bullar. Roman.* constitut. 7. dicti Pontificis. Simulque ex eo, quod regula Reservationis mensium apostolicorum, quæ olim octava fuerat, et in quam, veluti ad regulam VIII. Cancellariæ, Hieronymus Gonzalez integrum tractatum conscripsit, nunc nona existat. Earum priores tractant de reservationibus apostolicis, tum generalibus, tum specialibus beneficiorum, quorum collationem Papa sibi reservare intendit: posteriores agunt de litteris apostolicis expediendis, ac forma, seu clausulis in earum expeditione observandis; nec non de dispensationibus, atque indulgentiis obtinendis, et hujusmodi: prout amplius patebit ex tenore earundem regularum Cancellariæ proxime allegandarum.

475. *Et cur sic dicantur?* — Resp. II. Regulæ Cancellariæ sic dicantur, quod non solum Cancellariam apostolicam, seu officiales ipsius obligent; sed quia magna ipsarum

pars concernit expeditionem litterarum apostolicarum, in Cancellaria Papæ faciendam, quatenus tradunt certam formam in ipsarum expeditione observandam: simulque, quia Regulæ illæ in Cancellaria apostolica publicari consueverunt, et Regestis ejus inferi. Ita Rebuffus in *Praxi Benefic.* tit. *Additiones in Regulas Cancellariæ. §. Cancellariæ*. Joan. Chokier *Commentar. in Rubric. regular. Cancellar.* n. 16. et 17.

476. *Obligant non solum officiales Cancellariæ apostolicæ, sed etiam alios, exceptis cardinalibus.* — Accedit alia ratio. Siquidem regulæ Cancellariæ sunt ordinationes, seu constitutiones generales; atque ex persona conditoris sui, sive sanctissimi domini Papæ, easdem sub initio pontificatus sui pro meliore regimine facientis, obligant non solum officiales Cancellariæ apostolicæ; sed etiam, in materia ipsis adaptabili, astringunt omnes alios: exceptis duntaxat sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, qui ob speciales prærogativas, atque privilegia sibi competentia, expresse excipiuntur per regulam 70. Cancellariæ.

477. *Cancellaria apostolica efformat speciem magni tribunalis. Dicitur Organum Papæ, et cur?* — Porro in Cancellaria apostolica, præter cardinalem vice-cancellarium, plures alii officiales, tum prælati, tum non prælati, et quidem in valde copioso numero adesse solent: adeo, ut species magni et qualificati tribunalis efformari videatur. Card. de Luca in *Relatione*. Curia Romanæ, discours. 10. n. 9. 11. et 12. Estque tantæ auctoritatis, atque excellentiæ Cancellaria apostolica, ut *Organum Papæ* dicatur card. de Luca, loc. cit. discours. 9. n. 28. Chokier, in reg. 43. Cancellar. n. 42. vers. *Difficultas*. Sive, ut Gonzalez, ad reg. 8. Cancell. gloss. 13. n. 12. post Cassadorum decis. 3. n. 3. *de Reservation.* loquitur, Cancellaria apostolica est organum mentis, et vocis Papæ. Unde quidquid facit Cancellaria, videtur factum a Papa, utpote cujus ipsa est organum. Chokier cit. n. 42. Nec immerito: nam in Romanum etiam Pontificem cadit illud effatum imperatoris, l. I. § *Sed neque*. C. *de Veteri jure enucleand.* Omnia nostra tacimus, quibus auctoritatem impertimur, c. *Si Apostolica*. 22. h. t. in 6. Illud autem, « quod Principi placuit, legis habet vigorem; » prout dicitur l. I. ff. *de Constitut. princip.*

478. *Regulæ Cancellariæ a Joanne XXII, circa annum Domini 1330, initium habent.* —

Resp. III. Regulæ Cancellariæ a Joanne XXII. circa annum Domini 1330. initium, atque originem habuerunt. Ita Ludovicus Gomez, quæst. 1. Proœmial. in Regul. Cancellar. a princip. card. de Luca discours. 1. *de Beneficiis*, n. 23. Idque probat Gomezius loc. cit. ex eo : quia in vetusto quodam membrano codice (quem vulgares Quinternum Cancellariæ apostolicæ vocant) primus omnium in ordine ponitur Joannes XXII, regularum auctor : neque ante ipsum alius summorum Pontificum invenitur, qui hoc antea præstiterit, tradendo videlicet regulas Cancellariæ in scriptis.

479. *Haud obstante, quod Cancellaria apostolica jam antea extiterit.* — Nec obstat, quod ipsamet Cancellaria apostolica longe antea extiterit : utpote cujus jam Lucius Papa III. (qui fuit electus anno Domini 1181.) meminit in c. *Ad hæc sumus*. 10. *de Rescript.* illis verbis : « De Cancellaria nostra litteras recepisse, » etc. Resp. enim cum Gomezio loc. cit. quod tunc temporis Cancellariæ negotia non regulis, sed vivæ vocis mandato, et stylo fuerint directa : quia tamen sine aliquo certo ordine, sed eventualiter, et quodammodo fortuito processerant; merito postmodum scriptis comprehensæ, atque in eadem Cancellaria publicatæ fuerunt certæ regulæ in posterum observandæ, quas nunc regulas Cancellariæ appellamus.

480. *Regula Cancellariæ de facto statim obligant ab eo tempore, quod a neo-electo Papa reassumuntur.* — Quæritur II. A quo tempore regulæ Cancellariæ obligare incipiant, et quando obligent? Resp. I. Regulæ Cancellariæ cum primis illud habent speciale præ aliis legibus, et constitutionibus apostolicis, quod de facto statim obligent ab eo tempore, quo a neo-electo Pontifice Romano reassumuntur, licet nondum fuerint publicatæ. Ita liquet ex ipsarum præfatione nunc usitata, et sic loquente : « Quas etiam ex tunc, licet nondum publicatas, et suo tempore duraturas, observari voluit, videlicet Papa neo-electus. »

481. *Licet nondum fuerint publicatæ; et solentur instantia.* — Nec obstat, quod Rebuffus in Addition. ad regulas Cancellariæ Pauli Papæ III. § *Reservationes*. §. *Ex tunc*. et Zerola in *Praxi episcopali*, part. II. §. *Regulæ Cancellariæ*, cum nonnullis aliis velint, regulas Cancellariæ solum obligare a die promulgationis; utpote, quæ est causa formalis legis sancitæ. Resp. enim, istud ex eo

contigisse; quia tempore Rebuffi nondum præfationi regularum Cancellariæ habebatur inserta clausula illa : « Licet nondum publicatas : » prout liquet ex tenore regularum ab ipso relatarum. Alioquin vero leges etiam ad præterita facta trahi, quando « nominatim in eis de præteritis cavetur; » textus est in cap. ult. *de Constitut.* et l. VII. C. *de Legib.* ubi dicitur, « Leges non ad facta præterita revocari, nisi nominatim etiam de præterito tempore, et adhuc pendentibus negotiis, cautum sit. »

482. *Quomodo obligent ante suam publicationem.* — Cæterum, quando leges nominatim cavent de præteritis (prout obligant regulæ Cancellariæ ante suam publicationem) tunc ipsæ pro tempore præterito solum obligant quoad nullitatem actus in contrarium gesti (puta quod invalida sit collatio beneficii contra regulas Cancellariæ tunc facta) et quod ita iudices pronuntiare debeant : non vero tunc obligant quoad culpam, vel pœnam incurrendam, donec debite publicentur. Engel, tit. *de Præbend.* n. 19. estque jam dictum supra lib. I. *de Constitutionibus*. § 5. n. 107. 108. et 109.

483. *Durant tantum ad vitam Papæ eas facientis et in morte ejus expirant.* — Resp. III. Insuper regulæ Cancellariæ istud habent speciale, quod tautum durent, seu obligent ad vitam Romani Pontificis eas facientis; et in morte ipsius illico expirent. Patet hoc ex dicta præfatione earundem Regularum, atque verbis jam allegatis : « Et suo tempore duraturas : » ac notat Rebuffus in Addition. ad reg. Cancellar. reg. 1. §. *Suo tempore*; Garcias, part. V. *de Beneficiis*, cap. I. n. 643; Gonzalez, ad reg. 8. Cancellar. § 5, proœm. n. 2, et seqq. et gloss. 12, n. 2. ac seqq.; card. de Luca, *de Benefic.* discours. 16, n. 8. et discours. 31, n. 4. et 5; Flamin. Parisius, lib. XI. *de Resignat. benefic.* quæst. 2, n. 31; Engel, h. t. n. 19, et alii. Idque probatur ulterius ex eo : quia Papa neo-electus in reg. 1. Cancellar. ac seqq. Beneficia ibidem specificata *Dispositioni suæ* reservare consueverit; sicque aperto innuit, quod ejusmodi reservatio sit personalis, et consequenter cum conditore suo expiret : nam voluntas disponendi, sive beneplacitum Papæ, in morte ejusdem omnino extinguitur, c. *Si gratiose*. §. juncta Glossa §. *Suæ de Rescript.* in 6.

484. *Unde vacante Sede apostolica, cessant reservationes beneficiorum in eisdem duntaxat contentæ. Et quid dicendum de reservationibus*

clausis in corpore juris? — Infertur proinde primo, quod cum vacante Sede apostolica cessent regulæ cancellariæ, pariter cessent reservationes beneficiorum in eisdem duntaxat contentæ. Et additur, « in eisdem duntaxat contentæ. » Nam secus est dicendum de reservationibus clausis in corpore juris communis : ut est reservatio beneficiorum in Curia vacantium, juxta cap. II. et c. *Præsentis*. 34. h. t. in 6. Hæc enim reservatio tunc non cessat : quamquam si infra mensem non sequatur electio novi pontificis, sicque collatio talium beneficiorum non fiat subintret dispositio c. *Statutum*. 3. et c. *Si apostolica*. 35. eod. in 6. conformiter dictis supra n. 439. et 443. ac seqq.

485. *Sede papali vacante potest collator ordinarius conferre beneficia, cæteroquin reservata solum per regulas Cancellariæ.* — Infertur ulterius, quod Sede papali vacante jus ordinariorum revertatur ad primævos terminos juris communis, exceptis reservationibus clausis in corpore juris, et affectionibus personalibus. Card. de Luca *de Beneficiis*, discours. 16. n. 7. et 8. et communis. Unde collator ordinarius poterit tunc conferre beneficia, cæteroquin reservata solum per regulas Cancellariæ; ut puta, vacantia in mensibus pontificis, dummodo id fiat, antequam papa noviter creatus alias regulas constituat : hoc ipsum quippe importat relatum ly : « Et suo tempore duraturas. » Rebuffus cit. reg. 1. Cancellar. §. *Suo tempore*. post Dominicum, consil. 93; Gonzalez, d. § 5, proœm. n. 46; Zerola part. II. *Praxis episcopali*. § *Regulæ Cancellar.* et §. *Beneficium*. n. 1; Layman. l. 4. *Theol. moral.* tract. II. cap. XI. n. 1. vers. *Denique*; Garcias, part. V. *de Benefic.* cap. I. n. 645, asserens, quod Sede apostolica vacante omnes menses sint ordinariorum; hique possint providere de beneficiis vacantibus in quolibet mense, antequam neo-electus Papa fecerit novas regulas Cancellariæ.

486. *Antequam neo-electus Papa fecerit novas regulas; secus postea.* — Et notanter additur, « antequam neo-electus Papa fecerit novas regulas : » quas singuli Pontifices facere solent die immediate sequenti post assumptionem suam ad papatum. Nam regulis hisce jam factis non valet collatio beneficii, quod Sede papali vacante in mense pontificio vacaverat, et per collatorem ordinarium antea collatum non fuerat : quia tunc jam obligant novæ regulæ, etiam nondum publi-

catæ, quoad nullitatem actus in contrarium gesti, ut dictum n. 482. Quinimo per regulam 68. quæ inscribitur, « Reservatio Beneficiorum vacantium Sede apostolica vacante, » neo-electus Papa ejusmodi beneficia, de quibus per quoscunque Ordinarios collatores tunc dispositum non fuerat, seu minus valide dispositum erat, suæ provisioni, ac dispositioni expresse reservat : « Decernens irritum, » etc. prout eadem Regula inter alia loquitur.

487. *Regulæ Cancellariæ successu temporis in pluribus sunt mutatæ.* — Quæritur III. Cujus tenoris esse soleant modernæ regulæ Cancellariæ? Resp. I. Etsi regulæ Cancellariæ successu temporis in pluribus sint mutatæ, atque augmentatæ, vel magis declaratæ; prout patebit conferenti vetustiores regulas Cancellariæ, repertas in libris, cum modernis : tenor tamen novissimarum regularum Cancellariæ, seu auctoritate Sanctissimi in Christo Patris, ac D. N. D. Clementis divina Providentia Papæ XI, nunc regnantis, publicatarum, juxta exempla, Romæ in typographia Rev. Cam. apostolicæ impressum, est talis ut sequitur.

488. REGULÆ ORDINATIONES, ET CONSTITUTIONES CANCELLARIÆ APOSTOLICÆ. SS. D. N. D. CLEMENTIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XI.

« Sanctissimus in Christo Pater, et Dominus Noster Dominus CLEMENS divina Providentia Papæ XI. suorum prædecessorum vestigiis inhærendo, normam, et ordinem rebus gerendis dare volens in crastinum suæ Assumptionis ad summi apostolatus apicem, videlicet, die vigesima quarta mensis novembris anno ab Incarnatione Domini millesimo septingentesimo, reservationes, constitutiones, et regulas infra scriptas fecit, quas etiam ex tunc, licet nondum publicatas, et suo tempore duraturas observari voluit, ac quas Nos Petrus S. Laurentii in Damaso cardinalis Ottobonus, sanctæ Romanæ ecclesiæ vicerecancellarius die decima quarta decembris in Cancellaria apostolica publicari fecimus. »

Reservationes generales, et speciales.

1. « In primis fecit easdem reservationes, quæ in constitutione fel. recor. Benedicti PP. XII. quæ incipit, *Ad regimen*, continentur, et illas innovavit, ad locum habere voluit, etiamsi officiales in eadem constitutione

expressi apostolicæ Sedis officiales ante obitum eorum esse desiderint, quoad beneficia, quæ tempore, quo officiales erant, obtinebant. Declarans nihilominus beneficia, quæ dictæ Sedis officiales, qui ratione officiorum suorum hujusmodi ejusdem Sedis notarii erant, etiam dimissis ipsis officiis, et quancumque assecuti fuerint, sub hujusmodi reservationibus comprehendendi. Ac reservavit reservationibus comprehendendi. Ac reservavit beneficia, quæ per constitutionem piæ mem. Joannis PP. XXI. quæ incipit, *Execrabilis*, vacant, vel vacare contigerint, quam constitutionem, et reservationem SS. tam ad beneficia obtenta, quam ad quæcunque, de quibus ordinarii, et alii collatores contra concilii Tridentini decreta disposuerunt, et disponent in futurum, extendit, et ampliavit, et ea etiam beneficia omnia dispositioni suæ reservavit, de quibus per dictos ordinarios, aut alios collatores contra ejusdem concilii decretorum formam dispositum fuerit. Decernens irritum, etc. »

Reservatio cathedralium, ecclesiarum, et monasteriorum, ac de tempore vacationis episcopatum, vacaturorum beneficiorum.

2. « Item reservavit generaliter omnes ecclesias patriarchales, primatiales, archiepiscopales, episcopales, nec non omnia monasteria virorum, valorem annum ducentorum florenorum auri communi æstimatione excedentia, nunc quomodocumque vacantia, et in posterum vacatura. Et voluit, quod excessus hujusmodi in litteris exprimat. Ac etiam reservavit dignitates, et beneficia omnia ad collationem, præsentationem, electionem, et quancumque aliam dispositionem patriarcharum, primatum, archiepiscoporum, et episcoporum, nec non Abbatum, ac aliorum quorumcunque collatorum, et collatricum sæcularium, et regularium quomodolibet (non tamen ad collationem cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius præsentationem, vel electionem pertinentia) quæ post illorum obitum, aut ecclesiarum, seu monasteriorum, vel aliarum dignitatum suarum dimissionem, seu amissionem, vel privationem, seu translationem, vel alias quomodocumque vacaverint, usque ad provisionem successorum ad easdem ecclesias, aut monasteria, vel dignitates apostolica auctoritate faciendam, et adeptam ab eisdem successoribus pacificam illorum possessionem quomodocumque vacaverint, et vacabunt in futurum. Decernens irritum, etc. »

Extensio reservationis beneficiorum per assecutionem pacificam vacaturorum.

3. « Item, si qui de beneficiis ecclesiasticis præsertim curam animarum habentibus, seu alias personalem residentiam requirentibus, dum pro tempore vacant apostolica auctoritate provisi, seu providendi, ante illorum assecutionem alia cum eisdem incompatibilia beneficia ecclesiastica per eos tunc obtenta in fraudem reservationis suæ resignarent, seu dimitterent, voluit, decrevit, et declaravit, quod si in posterum quibusvis personis de aliquibus beneficiis ecclesiasticis, tunc vacantibus, seu vacaturis per Sanctitatem Suam, aut ejus auctoritate providendi, ipsosque providendos intra vacationem, et provisionem, seu assecutionem eorundem beneficiorum tempora, quæcunque alia cum illis incompatibilia beneficia ecclesiastica sæcularia, vel quorumvis ordinum, ac etiam hospitalium, regularia per eos tunc obtenta nulla speciali, et expressa de eisdem in provisionibus prædictis facta mentione simpliciter, vel causa permutationis, ac alias quomodolibet, sive in Sanctitatis Suæ, vel alterius Romani Pontificis pro tempore existentis, aut legatorum, vel nuntiorum dictæ Sedis, sive ordinariorum, vel aliorum collatorum quorumque manibus resignare, seu dimittere, aut juribus sibi in illis, vel ad illa competentibus cedere contigerit, omnes, et singulæ concessionem, collationem, provisionem, et quævis aliæ dispositiones de beneficiis, seu juribus sic resignandis, dimittendis, et cedendis pro tempore faciendæ cum inde secutis quibuscumque cassæ, et irritæ, nulliusque roboris, vel momenti existant, non cuiquam suffragentur, sed beneficia, et jura, ut præfertur resignata, et dimissa, et cessa eo ipso vacant, ac sub reservatione prædicta, quam Sanctitas Sua, etiam quoad hoc extendit, et ampliavit, comprehensa censeantur. Ita quod de illis per alium, quam per eandem Sanctitatem Suam, vel pro tempore existentem Romanam Pontificem nullatenus disponi possit, in omnibus, et per omnia perinde, ac si per pacificam assecutionem beneficiorum aliorum hujusmodi vere, ac realiter vacavissent. Ac ulterius voluit beneficium, de quo resignans fuerit auctoritate apostolica provisu, ac per ejus assecutionem beneficia vacare debebant, ut prius vacare, perinde, ac si collatio favore resignantis facta non fuisset, salvis tamen quibuscumque juribus

competentibus alteri parti, ad cujus favorem facta esset resignatio, etiam ex causa permutationis, summarie, simpliciter, et appellatione remota exercendis. Decernens irritum, etc. attentari. »

Reservatio dignitatum, nec non suorum, et S. R. E. cardinalium, familiarum, beneficiorum.

4. « Item reservavit generaliter dispositioni suæ omnes dignitates majores post pontificiales, in cathedralibus etiam metropolitanis, et patriarchalibus, nec non valorem decem florenorum auri communi estimatione excedentes principales in collegiatis ecclesiis. Reservavit etiam prioratus, præposituras, præpositatus, ac alias dignitates conventuales et præceptorias generales ordinum quorumcunque (sed non militarium) ac quæcunque beneficia, quæ sui, etiam dum cardinalatus fugebatur honore existentes, ac S. R. E. viventium nunc, et qui erunt pro tempore cardinalium familiares continui commensales obtinent, et in posterum obtinebunt eorum familiaritate durante, ac in quibus, seu ad quæ jus eis competit, aut competierit, etiamsi ab ipsa familiaritate per obitum cardinalium eorundem, vel alias recesserint. Declarans dignitates, qui in cathedralibus etiam metropolitanis post pontificiales non majores existunt, et quæ ex apostolicæ Sedis Indulgentia, vel ordinaria auctoritate, aut consuetudine præscripta, vel alias quovis modo in quibuscumque collegiatis ecclesiis principalem præminentiam habere noscuntur sub reservatione prædicta comprehendendi debere. Decernens irritum, etc. »

Reservatio beneficiorum collectorum, et subcollectorum.

5. « Item reservavit generaliter omnia, et singula beneficia ecclesiastica quorumcunque collectorum, et unicorum in quacumque civitate, vel diœcesi, si quo tempore officia exercuerint, subcollectorum fructuum, et proventuum cameræ apostolicæ debitorum, illa videlicet beneficia Juntaxat, quæ durante eorum officio obtinebant, et in quibus, seu ad quæ jus eis competeat. Decernens irritum, etc. »

Reservatio beneficiorum curialium, dum Curia transfertur.

6. « Item reservavit omnia, et singula beneficia ecclesiastica quorumcunque curia-

lium, quos dum Curia Romana de loco ad locum transfertur, eam sequendo decedere contigerit in quovis loco, quantumcunque etiam a dicta Curia remoto. Decernens irritum, etc. »

Reservatio beneficiorum cubiculariorum, et cursorum.

7. « Item reservavit generaliter idem D. N. PP. dispositioni suæ omnia beneficia cubiculariorum, etiam honoris nuncupatorum, ac cursorum suorum, declarans in prædecessorum suorum Romanorum Pontificum constitutionibus, et regulis reservatoriis beneficiorum cubiculariorum, etiam cubicularios honoris nuncupatos, etiam a die earum editionis, et publicationis intelligi, et comprehendendi, ac comprehensos fuisse, et esse. Irritumque, etc. attentari decernens. »

Reservatio beneficiorum ecclesiarum S. Joannis Lateranen. et S. Petri, ac beatæ Mariæ Majoris de Urbe, et beneficiorum titularum cardinalium a Curia absentium.

8. « Item reservavit dispositioni suæ generaliter quoscumque canonicatus, et præbendas, ac dignitates, personatus, et officia in S. Joan. Lateranensis, et principis apostolorum, ac beatæ Mariæ Majoris de Urbe ecclesiis, nec non ad collationem, provisionem, et præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem S. R. E. cardinalium a Romana Curia absentiam ratione suorum episcopatum cardinalatus, ac ipsorum cardinalium titularum, et diaconiarum spectantia, quantum absentia hujusmodi duraverit, cononicatus, et præbendas, dignitates, personatus, administraciones, et officia, cæteraque beneficia ecclesiastica cum cura, et sine cura vacantia, ac in antea vacatura, tam in eadem Urbe, quam in ecclesiis, civitatibus, ac diœcesibus dictorum episcopatum consistentia, ac decrevit irritum, etc. »

Reservatio mensium apostolicorum, et alternativa pro episcopis residentibus.

9. « Item cupiens SS. D. N. PP. pauperibus clericis, et aliis bene meritis personis providere, omnia beneficia ecclesiastica cum cura, et sine cura, sæcularia, et quorumvis ordinum regularia qualitercunque qualificata, et ubicunque existentia in singulis januarii, februarii, aprilis, maii, augusti, octobris, et novembris mensibus, usque ad suæ voluntatis beneplacitum extra Romanam Curiam